HUGO DE SANCTO VICTORE. GUILELMUS DE SANCTO THEODORICO. BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
Göttweig (?), 4. Viertel 12. Jh. Seite 9v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Et exiuit primum per creaturam mundi. et manifestauit se in operibus
suis et cepit uisibiliter uideri inuisibilis. in eo quod erat uisibile.
et monstratum est quoddam lumen ut duceret ad maius lumen. Et
erat primum lumen sapientie. et secundum lumen sapientia. Et factus est nobis ihesus
uia ad patrem. ex inferiori lumine ad lumen principale. Deinde
uenit secunda sapientia. et exiuit ut dictum est per carnem et facta est lu
men intesta. ut illuminaret nos. et assuefaceret ad maius lumen
et perduceret ad principale lumen. Sed et ita accessum habuimus
per ihesum ad principale lumen patrem. Ergo ihesum inuocantes pater
num lumen. quod est quod uerum quod illuminat omnem homi
nem uenientem in hunc mundum. per quem ad principale lumen patrem
accessum habuimus. Huc usque pendet sentencia. donec sequentibus
compleatur. Et est sensus. Nos inuocantes ihesum respiciamus quantum
possibile est nobis. in illuminationes sacratissimae eloquiae. hoc est
in sacratissima eloquia quae illuminant nos doctrina ueritatis.
et intelligentia secretae a patre traditas. Tradite enim sunt a
patre illuminationes diuinae eloquiae. ut nos ex ipsis illumi
nemur. quo usque capaces efficiamur contemplationis luminis prin
cipalis. Et ipsis illuminantibus nunc agnoscimus secreta celestia. quae
nec dum sensu comprehendere ualemus. Illuminationes quoque sa
cratissimae eloquiae accipere possumus descriptiones sacri eloquii.
et configurationes ex formis uisibilibus sumptas. in quibus nobis sta
tum inuisibilium rerum et celestium secretae racionem modumque
ex proposita similitudine demonstrat. Ipsis enim signis uisibilibus.
humana mens commodius instruitur. et illuminatur ad inuisibili
um cognicionem. Propterea pene ubique in sacro eloquio rerum ui
sibilium species. pro significatione adhibentur. quando humana
mens de his eruditur quae abscondita sunt ab intelligentia huma
na. ut per ea quae nouit capere. possit et intelligere quae non nouit.
Istas quoque illuminationes foris ad erudicionem nobis propositas. ihesum in
uocantes qui intus corda illuminat inspicere debemus. et secundum
ipsam demonstrationem secreta celestia addiscere. Hoc est quod